



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu**

**Lamparter, Heinrich**

**Jngolstadii, 1662**

Epistola VI. Franciscæ De Penna Ad P. Lvdovicvm Responsvm Ad Priores  
Litteras.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43978**

## EPISTOLA VI.

FRANCISCÆ DE PENNA  
AD P. LVDOVICVM RESPON-  
SVM AD PRIORES  
LITTERAS.

**D**ignetur servare Dominus  
noster illam Spiritûs sui præ-  
sentiam, quam pro immensa boni-  
tate indulgit Paternitati vestræ, per-  
gâtque cumulare quotidianis ac-  
cessibus divinæ gratiæ suæ thesau-  
ros. Apparet, mi Pater, habitare  
Dominum in anima Paternitatis  
vestræ. Argumenti instar sunt mihi  
tot verba, zelo divinæ gloriæ ani-  
mata, & doctrina tã salutaris animæ  
meæ. Quid enim benedictionum  
illa non comprehendit, quibus  
prævenire me dignatur Paternitas  
vestra, & parare ac instruere, quo  
studio Domini nostri, & Paternita-  
tis vestræ magisterio, subesse me  
oporteat. Faxit ille, qui desideri-  
um serviendi ipsi animo injecit

meo.

meo, ut talem megeram, qualem  
sanctissima ejus voluntas exigit.  
Accepi litteras paternitatis vestrae  
feria secunda Paschatis, tanto cum  
gaudio, quantum est robur illud &  
studium, quod indulgeri à DEO  
mihi flagito, ad ea, quae per illas do-  
ceor, exequenda: in quibus omni-  
no rebus, quantum capio, summa  
omnis perfectionis versatur. Ità e-  
nim sanctè affirmo, quòd post le-  
ctos, qui hac de re agunt libros, o-  
mnino aliquot, tātum lucis tamen  
nunquā obtinuissem, ad manifestè  
satis intelligendum, quānam in re  
constituta sit vitæ nostræ perfectio,  
quantum obrinui perlectis Pater-  
nitatis vestrae monitis, tria illa iden-  
tidem commendantis, *orandum*,  
*esse*, sincerè diligentibus, *agendum*,  
*patiendum*. Laus sit Domino, &  
Servatori nostro, ad cuius gloriam  
statutum mihi est summâ, quâ lice-  
bit, curâ & studio, in hoc perfectio-  
nis

nis meæ negotium incumbere;  
Hoc agam deinceps; hic unus la-  
genti & meditati labor erit; colligere mentem, & à rebus omnibus abstractam, soli Deo, pro eo, ac illam desiderat, dedicare: O quando hæc obtinget mihi tãdem felicitas! quid si cras fortassis? ecceur non hodie! adjuvet me Paternitas vestra precibus, & doctrina sua; itã discipulæ instructio & profectus in magistri laudes redundabit: confecta jam est viæ pars, non omnino nulla: neque enim cruces desunt, quæ pro fundamento superstruendæ molis serviunt: quæ etsi utcumque videri possint leves, habent tamen nescio quid occulti ponderis, suffecturum ad mille fortassis humerorum impatientiam. Jã novit addere, vel imminuere pondus, qui eas fabricat, magnus ille, & potentissimus Opifex. Grates illi sint, & immortalis gloria, qui cum affligit

affligit nos, non obliviscitur indulgentiæ, ita viribus nostris accommodans pondera, ut nunquam iusto graviora sint. Laudetur Deus & amantissimus Pater: amemus illum ex toto corde nostro. O Rex meus, & omne bonum meum, quis amare te poterit amore infinito? Nunquid ille, qui, quidquid in facultatibus suis habet uspiam, tibi addicit, tibi consecrat integerrimè? *Hactenus illa.*

EPISTOLA VII.

AD P. RODERICVM  
DE CABREDO.

GRATULATUR EI PRO-  
FECTIONEM INDICAM, ONVS-  
QUE REGENDI.

*Pax Christi.*

**D**Oleamne de Reverentiæ  
Vestræ in remotissimas oras  
discessu, an potius invidiam præ-  
claras adeò Divinæ gloriæ promo-  
vendæ